

Post Anal I, 1, 71a 11ff; I lect 2

dikhws de anagkaiov progivwskeiv; ta mev gar 'oti estiv proupolambaveiv avagkaiov, ta de ti to legomevov esti xuvievai dei, ta d' amphw...

Alia sunt de quibus necesse est primo cognoscere quia sunt, sicut principia de quibus postea exemplificat... Alia vero sunt de quibus oportet praeintelligere quid est quod dicitur, idest, quid significatur per nomen... Et non dicit quid est simpliciter sed quid est quod dicitur: quia antequam sciatur de aliquo an sit, non potest sciri proprie de eo quid est. Non entium enim non sunt definitiones. Unde quaestio, an est, praecedat quaestionem, quid est. Sed non potest ostendi de aliquo an sit, nisi prius significetur intelligatur quid significatur per nomen. Propter quod etiam Philosophus in quarto Metaphysicae in disputatione contra negantes principia, docet incipere a significatione nominum....

71a 16ff (Thom ibid) If the major is already known, then knowledge of the conclusion may be simultaneous with knowledge of the minor. One knows that the sum of the angles of the triangle equals two right angles; one sees this triangle in the semi-circle; one immediately grasps the conclusion.

71a 29 (I lect 3) to ev tw<sub>1</sub> Mevwvi apornma sumbnsetai

Post Anal. 2 lect 1 (B, 2; 90a 24ff) (cf A, 31; 88a 9ff; 1 lect 42)

Ostendit propositum per signum sensibile. Et dicit quod ea in quibus medium est sensibile, manifeste ostendunt quod omnis quaestio sit quaestio medii, quia si bene medium sensibile per sensum innotescat, nullus relinquitur quaestioni locus. Tunc enim quaerimus in rebus sensibilibus secundum aliquam praedictarum quaestionam (nempe, quia, propter quid, an sit, quid sit), quando medium non sentimus; sicut quaerimus an sit defectus lunae, vel si est defectus lunae vel non, quia non sentimus medium quod est causa faciens deficere lunam. Sed si essemus in loco qui est super lunam, videremus quodmodo subintrando umbram terrae deficeret; ideo circa hoc nihil quaeremus, nec si est nec propter quid est, sed simul utrumque nobis fieret manifestum. Et quia posset aliquis obviando dicere, quod sensus est singularium, ea vero quae quaeruntur sunt universalia, sicut ea quae sciuntur; et ita per sensum non videtur quod possit nobis innotescere id de quo est quaestio. Ideo quasi obviatori respondens subiungit quod ex hoc ipso quod sentiremus particulare, scilicet quod hoc corpus lunae nunc subintrat hanc umbram terrae, statim accideret nobis quod sciremus universale. Sensus enim noster esset de hoc quod nunc lumen solis obstruitur per oppositionem terrae, et per hoc manifestum esset nobis quod luna nunc deficit. Et quia nos coniceremus quod semper hoc modo accideret lunae defectus, statim in nostra scientia sensus rei singularis fieret universale. Et ex hoc concludit quod idem est scire quod quid est, et propter quid. Nam ex hoc quod videmus terram interpositam inter solem et lunam sciemus et quid est defectus lunae et propter quid luna deficit: quorum unum, scilicet scire quid est, refertur ad scientiam qua scimus de aliquo quod simpliciter sit, non autem quod insit alicui; sed propter quid refertur ad cognitionem eorum quae insunt; sicut cum dicimus quod tres anguli sunt aequales duobus rectis, aut maiores aut minores (scilicet insunt triangulo). Ultimo autem explicando concludit principale propositum, scilicet manifestum est ex praedictis, in omnibus quae quaeruntur esse medii quaestionem.

90a 31f

of Met.  $\Theta$ , 9; 1051a 22-33 *cf IX lect 10 ~~94~~ 1888-94 - Superivrit, of act to putting from comparison of geometrical problem, figure, const. rect. in*  
 Post Anal 2 lect 9 §3

of Anima  
lect 13.

Mathematica enim abstrahit quidem a materia sensibili, non autem a materia intelligibili, ut dicitur in 6 Metaphys. quae quidem materia intelligibilis consideratur secundum quod aliquid divisibile accipiatur, vel in numeris, vel in continuis. Et ideo quendocumque in mathematicis aliquid demonstratur de toto per partes, videtur esse demonstratio per causam materialem: partes enim se habent ad totum secundum rationem materiae, ut habetur in 2 Phys. Example: angle in semi-circle is right angle is proved by dividing it by line from centre to vertex of angle.

Post Anal 2 lect 7 (B, 8; 93a 4 sed lege tou ei loco tou ti)

... idem est scire quid est et scire causam quaestionis, an est; sicut est idem est scire propter quid et causam scire quaestionis, quia est (cf 2 lect 1: an sit eg centaurus, quid sit centaurus; utrum homo sit animal; propter quid homo sit animal)

Post. Anal. 2 lect 8 (B, <sup>10</sup> 9ff; <sup>94a 11 ff</sup> ~~95b 15ff~~)

Colligit ex praemissis quot sunt modi definitionum per respectum ad demonstrationem. Et primo resumit quoddam quod supra dixerat: quod eorum quae non habent causam, definitiones sunt accipiendae sicut quaedam immediata principia. Et ideo dicit huc quod definitio immediatorum, id est rerum non habentium causas, est sicut quaedam indemonstrabilis positio eius quod quid est. Ex hoc concludit quod

Post Anal 2 lect 8 con'd

triplex est genus definitionis per comparationem ad demonstrationem. Quaedam enim est definitio quae est indemonstrabilis ratio eius quod quid est. Et haec est illa quae dixerat esse immediatorum. Alia autem definitio est, quae est quasi quidam syllogismus demonstrativus eius quod quid est, et non differt a demonstratione nisi causa, idest secundum diversam acceptionem et positionem dictionum, ut cum dicitur tonitruum est sonus extincti ignis in nubibus (cf 2 lect 7 fin). Tertia autem definitio est quae solum est significativa ipsius quod quid est, et est conclusio demonstrationis

Post Anal 2 lect 7 (B, 8 fin; 93b 15-20)

Epilogat quod dictum est, et dicit: Dictum est "quomodo accipiatur et innotescat quod quid est" scilicet per hoc quod accipitur propter quid: dictum est etiam quod non est syllogismus neque demonstratio ipsius quid est, ut scilicet proprie syllogizante syllogizetur vel demonstretur quod quid est: et tamen manifestatur quod quid est per syllogismum et per demonstrationem, inquantum scilicet medium demonstrationis propter quod est quod quid est. Unde manifestum est quod neque sine demonstratione potest cognosci quod quid est, cuius est altera causa; nec tamen est demonstratio ipsius quid est, sicut probatur in obiiciendo.

Post. Anal. 2 lect 9 (B, 11; 94a 20ff)

Dicit ergo primo quod quia scire opinamur, cum sciamus causam, ut in primo habitum est; demonstratio autem est syllogismus faciens scire; ita consequens est, quod medium demonstrationis sit causa. Sunt autem quattuor genera causarum, ut in 2 Phys. et in 5 Metaphys plenius manifestatur: quarum una est quod quid erat esse, idest causa formalis, quae est completiva essentiae rei. Alia autem est causa, qua posita necesse est causatum poni; et haec est causa materialis, quia ea quae sequuntur ex necessitate materiae, sunt necessaria absolute, ut habetur in 2 Physicorum. Tertia autem causa est, quae est principium motus, idest causa efficiens. Quarta causa est, cuius gratia fit aliquid, scilicet causa finalis. Et ita patet quod per medium demonstrationis omnes hae causae manifestantur, quia quaelibet harum causarum potest accipi ut medium demonstrationis.

4  
Imago Dei -- In Post. Anal.

Lib 1, lect 1

a Oportet igitur Logicae partes accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus: quorum primi duo sunt rationis secundum quod est intellectus quidam. Una enim actio intellectus est intelligentia indivisibilium, sive incomplexorum, secundum quam concipit quid est res. Et haec operatio a quibusdam dicitur informatio intellectus sive imaginatio per intellectum. Et ad hanc operationem rationis ordinatur doctrina quam tradit Aristoteles in libro praedicamentorum. Secunda vero operatio intellectus est compositio vel divisio intellectus in qua est iam verum et falsum. Et huic rationis actui deservit doctrina quam tradit Aristoteles in libro Perihermeneias. Tertius vero actus rationis est secundum id quod est proprium rationis, scilicet discurrere ab uno in aliud; ut per illud quod est notum deveniat in cognitionem ignoti. Et huic actui deserviunt reliqui libri Logicae.

Quaeritur utrum supra dicta "informatio intellectus" sit informari specie intelligibili.

a dicitur "informatio", at contra hoc tantum "dicitur a quibusdam"

b dicitur "concipit" "imaginatio per intellectum"

c est ~~id~~ operatio quae dirigitur per doctrinam inveniendam in libro de Praedicamentis; sed abstrahere species non dirigitur per ullum librum qui artem docet, cf Post Anal lib 1 lect 1 supra

d ratiocinando pervenitur ad Quod quid est lapidis, in Ioan.

e melius fieret referentia ad tractatum de definitionibus. *καταγορίαι* satis et magis apparentis  
Videtur mentem auctoris hic non omnino claram fuisse, vel saltem afuisse rationes cur accuratam claritatem expeteret.

Lib 1 lect 1

b ... acceptio cognitionis in nobis fit ex aliqua praeexistente cognitione. Et ideo dicit "omnis doctrina et omnis disciplina" non autem omnis cognitio, quia non omnis cognitio ex priori cognitione ~~innoxabilis~~ dependet. Esset enim in infinitum ire. Omnis autem disciplinae acceptio ex praeexistente cognitione fit. Nomen autem doctrinae et disciplinae ad cognitionis acquisitionem pertinet. Nam doctrina est actio eius qui aliquid cognoscere facit. Disciplina autem est receptio cognitionis ab ab alio.

Lib. II, lect. 20

c Dictum est enim in principio libri quod ille qui habet scientiam, scit quod impossibile est aliter se habere. Ergo multo minus potest esse quod aliquis habeat cognitionem principiorum immediatorum, et lateat ipsum. Quod tamen inconveniens sequeretur, si habitus huiusmodi inessent et laterent.

Imago Dei -- In Post Anal, II lect 20

Ostendit secundum praedicta quomodo in nobis fiat cognitio primorum principiorum: et concludit expraemissis quod ex sensu fit memoria, in illis scilicet animalibus in quibus scilicet remanet impressio sensibilis, sicut supra dictum est. Ex memoria autem multoties facta circa eandem rem in diversis tamen singularibus, fit experimentum; quia experimentum nihil aliud videtur quam accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quam confertur unum ad aliud quod est proprium rationis. Puta, cum talis recordatur quod talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris. Ratio autem non sistit in experimento particularium; sed ex multis particularibus in quibus expertus est, accipit unum commune quod firmatur in anima et considerat illud absque consideratione alicuius singularium, et hoc accipit ut principium artis et scientiae. Puta diu medius consideravit hanc herbam sanasse Socratem febrientem et Platonem et multos alios singulares homines: cum autem sua consideratio ad hoc ascendit, quod talis species herbae sanat febrientem simpliciter, hoc accipitur ut quaedam regula artis medicinae...

Et distinguit inter artem et scientiam... Et ideo hic dicit quod si ex experimento accipiatur aliquod universale circa generationem, idest circa quaedamque factibilia, puta, circa sanationem, vel agriculturam, hoc pertinet ad artem. Scientia vero ut ibidem dicitur est circa necessaria: et ideo si universale consideretur circa quae semper eodem modo sunt, pertinet ad scientiam, pura circa numeros et figuras. Et iste modis quae-die qui dictus est competit in principiis omnium scientiarum et artium. Unde concludit quod neque praexistunt in nobis habitus principiorum quasi determinati et completi; neque etiam fiunt de novo ab aliquibus notionibus habitibus praexistentibus, sicut generatur in nobis habitus scientiae ex praecognitione principiorum, sed habitus principiorum sunt in nobis a sensu praexistentes.

Et ponit exemplum in pugnis quae fiunt per reversionem exercitus devicti et fugati. Cum enim unum eorum perfecit statum, idest immobiliter caeperit stare et non fugere, alter stat adiungens se ei, et postea alter, quousque tot congregentur, quot faciunt principium pugnae, sic etiam de sensu et memoria unius particularis, et iterum alterius et alterius, quodoque pervenitur ad id quod est principium artis et scientiae, ut dictum est.... cum sensu oportet praesupponere talem naturam animae, quae posset pati hoc, idest, sit susceptiva cognitionis universalis; quod quidem fit per intellectum possibilem; et iterum quod possit agere hoc per intellectum agentem, qui facit intelligibilia in actu per abstractionem universalium a singularibus.

... Quia igitur universalium cognitionem accipimus ex singularibus, concludit manifestum esse quod necesse est prima universalia principia cognoscere per inductionem

... intellectus erit principium scientiae, quia scilicet per intellectum cognoscuntur principia scientiarum, ita scilicet quod hic intellectus qui est principium scientiae, est cognoscitivus principii ex quo procedit scientia...

Post Anal 2 lect 20 (p 225a)

\*\*/

Manifestat quod dictum est... quod experimento singularium accipitur universale... Manifestum est enim quod singulare sentitur proprie et per se, sed tamen sensus est quodammodo et ipsius universalis Cognoscit enim Galliam, non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est hic homo; et similiter Socratem in quantum est hic homo. Et inde est quod tali accpetione sensus praeeistente, anima intellectiva potest considerare hominem in utro ue. Si autem ita esset quod sensus apprehenderet solum id quod est particularitatis et nullo modo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis

De Anima  
# 398  
De Vv  
9 8 a 11  
26-2 E

\*\*..Si enim accipiantur multa singularia, quae sunt indifferentia quantum ad aliquidd unum in eis existens, illud unum secundumquod non differunt in anima accpetum est primum universale, quidquid sit illud; sive pertineat ad essentiam singularium sive non. Quia enim invenimus Socratem et Platonem et multos alios esse indifferentes quantum ad albedinem, accipimus hoc unum, scilicet album, quasi universale, quod est accidens. Et similiter quia invenimus Socratem et Platonem et alios esse indifferentes quantum ad rationabilitatem, hoc unum in quo non differunt, scilicet rationale, accipimus quasi universale, quod est differentia. Qualiter autem hoc unum accipi potest, possit, manifestat consequenter. Manifestum est enim (ut supra)

¶ Ia, 78 a 4 ad Sim "non per id quod est proprium sensitivas partis, sed per aliquam propriam affinitatem et puritatem rationis, secundum aliquam influentiam"

Sicut dicit Philosophus in principio Metaphysicae, sapientis est ordinare. Quis ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem. Nam et si vires sensitivae cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius rei ad aliam cognoscere est solius intellectus aut rationis. Invenitur autem duplex ordo in rebus. Unus quidem partium alicuius totius seu alicuius multitudinis ad invicem, sicut partes domus adinvicem ordinantur. Alius est ordo rerum in finem. Et hic ordo est principalior quia primus. Nam, ut Philosophus dicit in undecimo Metaphysicorum, ordo partium exercitus adinvicem, est propter ordinem totius exercitus ad ducem. Ordo autem quadripliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo quem ratio non facit sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium, Alius est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum, quae sunt voces significativae. Tertius autem est ordo quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur, secundum hos diversos ordines quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. -(Philosophia-naturalis, Nam ad philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit; ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam cuius est considerare ordinem partium orationis adinvicem, et ordinem principiorum adinvicem et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae. Ordo autem quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas.

In Metaphys Arist. 1 lect 2 §42 Sed sapientem secundum omnem opinionem non decet ordinari ab alio, sed ipsum potius alios ordinare.... Sapienti autem non convenit ut ab alio persuadeatur, sed quod ipse aliis persuadeat suam scientiam.

Metaphys. A 2, 982 a 17 οὐ γὰρ δεῖν ἐπιτάττεσθαι τὸν σοφὸν ἄλλ' ἐπιτάττειν, καὶ οὐ τοῦτον ἑτέρω πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῦτον τὸν ἥττον σοφόν.

In Ioannem, cap. I, lect. I.

Ad intellectum autem huius nominis, Verbum, sciendum est quod secundum Philosophum (I Periherm., lect. 2) ea quae sunt in voce sunt signa earum quae sunt in anima passionum. Consuetum est autem in Scriptura quod significata nominantur nominibus signorum: sicut illud I Cor. 10, 1: Petra autem erat Christus. De necessitate autem oportet quod illud intrinsecum animae nostrae quod significatur exteriori verbo nostro, verbum vocetur. Utrum autem per prius conveniat nomen verbi rei exteriori voce prolatae, vel ipsi conceptioni mentis, nihil refert ad praesens. Planum est tamen quod illud quod voce significatur, interius existens in anima, prius est quam ipsum verbum exteriori voce prolatum, ut pote causa eius existens.

Si ergo volumus scire quid est interius verbum mentis, videamus quid significat quod exteriori voce profertur. In intellectu autem nostra sunt tria, scilicet ipsa potentia intellectus, species rei intellectae, quae est forma eius, se habens ad ipsum intellectum sicut species colis ad pupillam, et tertio ipsa operatio intellectus quae est intelligere. Nullum autem istorum significatur verbo exteriori voce prolato: nam hoc nomen, lapis, non significat substantiam intellectus, quia hoc non intendit dicere nominans; nec significat speciem, quae est qua intellectus intelligit, cum etiam hoc non sit intentio nominantis: non significat etiam ipsum intelligere, cum intelligere non sit actio exteriori progrediens ab intelligente, sed in ipso manens. Illud ergo proprie dicitur verbum interius, quod intelligens intelligendo format. Intellectus autem duo format, secundum duas eius operationes; nam secundum operationem suam, quae dicitur indivisibilem intelligentiam, format definitionem; secundum vero operationem suam, qua decomponit et dividit, format enunciationem, vel aliquid huiusmodi. Et ideo illud sic formatum et expressum per operationem intellectus, vel definiens vel enunciatis, exteriori voce significatur. Unde dicit Philosophus quod ratio, quam significat nomen, est definitio. Istud ergo sic expressum, per operationem scilicet formatum in anima, dicitur verbum interius; et ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit; quia in ipso expresso et formato videt naturam rei intellectae. Sic ergo habemus significationem huius nominis, Verbum.

Secundo ex his quae dicta sunt concipere possumus, quod verbum semper est aliquid procedens ab intellectu in actu existente.

Iterum quod verbum semper est ratio et similitudo rei intellectae. Et quidem si eadem res sit intelligens et intellecta, tunc verbum est ratio et similitudo intellectus, a quo procedit; si autem sit aliud intelligens et intellectum, tunc verbum non est similitudo et ratio intelligentis sed rei intellectae; sicut conceptio quam aliquis habet de lapide est similitudo lapidis tantum; sed quando intellectus intelligit se, tunc huiusmodi verbum est similitudo et ratio intellectus. Et ideo Augustinus (De Trin. lib 9 cap 5) ponit similitudinem Trinitatis in anima, secundum quod mens intelligit seipsam, non autem secundum quod intelligit alia.

patet ergo quod in qualibet natura intellectuali necesse est ponere verbum: quia de ratione intelligendi est quod intellectus intelligendo aliquid format; huius autem formatio dicitur verbum; et ideo in omni intelligente oportet ponere verbum. Natura autem intellectualis est triplex, scilicet humana, angelica, et divina; et ideo triplex est verbum. Scilicet humanum, de quo in Psal 13, 1: Dixit insipiens in corde sua: Non est Deus. Est et angelicum.....



23

In Ioan I lect I

Sciendum est autem quod hoc Verbum differt a nostro verbo in tribus. Prima differentia est, secundum Augustinum, quia verbum nostrum prius est formabile quam formatum: nam cum volo concipere rationem lapidis, oportet quod ad ipsam ratiocinando perveniam: et sic est in omnibus aliis, quae a nobis intelliguntur: nisi forte in primis principiis, quae cum sint simpliciter nota, absque discursu rationis statim sciuntur. Quamdiu ergo sic ratiocinando intellectus iactatur hac atque illac, nec dum formatio perfecta est, nisi quando ipsam rationem rei perfecte conceperit: et tunc primo habet rationem rei perfectae, et tunc primo habet rationem verbi. Et inde est quod in anima nostra est cogitatio, per quam significatur ipse discursus inquisitionis, et verbum, quod est iam formatum secundum perfectam contemplationem veritatis. Sic ergo verbum nostrum primo est in potentia quam in actu; sed Verbum Dei semper est in actu: et ideo nomen cogitationis Verbo Dei proprie non convenit. Dicit enim Augustinus (DE Trin lib 15 c 14) "Ita dicitur Verbum Dei, ut cogitatio non dicatur, ni quid quasi volubile credatur in Deo." Id autem quod Anselmus dicit, scilicet: "Dicere summo Spiritui nihil aliud est quam cogitando intueri" improprie dictum est.

Secunda vero differentia verbi nostri ad Verbum divinum est, quia verbum nostrum est imperfectum sed Verbum divinum est perfectissimum; quia enim nos non possumus omnes nostras conceptiones uno verbo exprimere, ideo oportet quod plura verba imperfecta formemus, per quae divisim exprimamus omnia, quae in scientia nostra sunt. In Deo autem non est sic: cum enim intelligit se per essentiam suam uno actu, unicum Verbum divinum est expressivum totius quod in Deo est, non solum personarum, sed etiam creaturarum: alias esset imperfectum. Unde dicit Augustinus: "Si quid minus esset in Verbo quam in dicentis scientia continetur, Verbum imperfectum esset. Sed constat quod est perfectissimum; ergo est tantum unum" Job 3, 14: Semel loquitur Deus.

Tertia differentia est, quod verbum nostrum non est eiusdem naturae nobiscum; sed Verbum divinum est eiusdem naturae cum Deo; et ideo est aliquid subsistens in natura divina: nam ratio intellecta quam intellectus videtur de aliqua re formare, habet esse intelligibile tantum in anima nostra; intelligere autem in anima nostra non est idem quod est natura animae, quia anima non est sua operatio. Et ideo verbum quod format intellectus noster, non est de essentia animae, sed est accidens ei. In Deo autem idem est intelligere et esse; et ideo Verbum intellectus divini non est aliquid accidens, sed pertinens ad naturam eius; unde oportet quod sit subsistens, quia quicquid est in natura Dei est Deus. Unde dicit Damascenus quod Deus Verbum substantiale est, et in hypostasi ens, reliqua vero, verba nostra scilicet, virtutes sunt animae.

Ex praemissis etiam patet quod Verbum, proprie loquendo, semper personaliter accipitur in divinis, cum non importet nisi quid expressum ab intelligente. Item quod Verbum in divinis sit similitudo eius a quo procedit; et quod sit coaeternum ei a quo procedit, cum non prius fuerit formabile quam formatum sed semper in actu; et quod sit aequale Patri, cum sit perfectum, et totius esse Patris expressivum, et quod sit coessentiale et consubstantiale Patri, cum sit substantia eius. Patet etiam quod cum in qualibet natura illud quod procedit, habens similitudinem naturae eius a quo procedit, vocetur filius; et hoc Verbum procedit in similitudine et identitate naturae eius a quo procedit; convenienter et proprie dicitur Filius: et productio eius dicitur generatio. Sic ergo patet primum, scilicet quod sit hoc quod dicitur Verbum.

Imago Dei -- In Ioannem, cap I, lect I -- cites Aug de Trin XV cc 5 et 14

Verbum -- tria in intellectu quorum nullum est verbum  
ipsa potentia intellectus  
species rei intellectae, quae est forma eius, se habens  
ad ipsum intellectum, sicut species coloris ad pupillam  
et tertio ipsa operatio intellectus quae est intelligere  
Illud proprie dicitur verbum interius quod intelligens intelligendo  
format. Intellectus autem duo format: definitionem, enuntiationem  
Verbum interius "comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus  
intelligit, sed sicut in quo intelligit; quia in ipso expresso et  
formato videt naturam rei intellectae.

Verbum semper est aliquid procedens ab intellectu in actu existente  
Verbum semper est ratio et similitudo rei intellectae

In qualibet natura intellectuali necesse est ponere verbum; quia de  
ratione intelligendi est quod intellectus intelligendo aliquid  
formet; huius autem formatio dicitur verbum; et ideo in omni intel-  
ligente oportet ponere verbum.

Prima differentia est secundum Augustinum quia verbum nostrum  
prius est formabile quam formatum: nam cum volo concipere rationem  
lapidis, oportet quod ad ipsam ratiocinando perveniam; et sic est  
in omnibus aliis, quae a nobis intelliguntur: nisi forte in primis  
principiis, quae cum sint simpliciter nota, absque discursu rationis  
statim sciuntur. Quamdiu ergo, sic ratiocinando, intellectus  
iactatur hac atque illac, nec dum formatio perfecta est, nisi  
quando ipsam rationem rei perfecte conceperit: et tunc primo habet  
rationem rei perfectae, et tunc primo habet rationem verbi. Et  
inde est quod in anima nostra est cogitatio, per quam significatur  
ipse discursus inquisitionis, et verbum, quod est iam formatum secundum  
perfectam contemplationem veritatis.

... plura verba formemus, per quae divisim exprimamus omnia, quae  
in scientia nostra sunt

Unde dicit Augustinus "Si quid minus esset in Verbo, quam in  
dicentis scientia continetur, Verbum imperfectum esset...

... patet quod Verbum, proprie loquendo, semper personaliter  
accipitur in divinis, cum non importet nisi quid expressum ab  
intelligente

... quod sit aequal Patri, cum sit perfectum, et totius esse Patris  
expressivum

It remains that "intelligere" is a general term

quodl., IV a 6: Utrum Pater eodem Verbo dicat se et Rix creaturam

*1271*  
 Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit 15 de Trin., Verbum Dei repraesentatur aliquo modo per verbum nostri intellectus, quod nihil est aliud quam quaedam acceptio actualis notitiae: cum enim id quod scimus, actu considerando concipimus, hoc verbum nostri intellectus est, et hoc est quod verbo exteriori significamus. Sed quia nos non totum id quod habitu scimus, actu mente concipimus, sed de uno intelligibili movemur ad aliud; inde est quod in nobis non est unum solum verbum mentale, sed multa quorum nullum adaequat nostram scientiam. Sed Deus quidquid scit actu intelligit; et ideo in mente eius non succedit verbum verbo; et sicut eadem scientia scit se et omnia alia, ita etiam eodem Verbo exprimit se ipsum et omnia alia: nec esset eius Verbum perfectum, ut Augustinus in eodem libro dicit, si aliquid minus esset in eius Verbo quam in eius scientia; unde quidquid Pater scit, totum unico suo Verbo dicit. Et sic necesse est quod idem Verbum sit quo dicit se ipsum et quo dicit creaturam.

*1256*  
 Quodl. VII a 4: Utrum notitia, quae ab Augustino dicitur proles mentis, sit in mente sicut accidens in subiecto.

Sed contra notitia mentis nihil aliud esse videtur quam scientia. Sed scientia est accidens, cum sit in prima specie qualitatis. Ego et notitia.

Respondeo dicendum quod notitia quattuor modis accipi potest: Primo pro ipsa natura cognoscitiva; secundo pro potentia cognoscitiva; tertio pro habitu cognoscitivo; quarto pro ipso cognitionis actu. ... Loquendo ergo de notitia primo modo accepta, constat quod non est in substantia mentis sicut accidens in subiecto, sed substantialiter et essentialiter; sicut dicitur quod rationale est in vivo, et vivum in ente. Si autem loquamur de notitia tribus aliis modis accepta; sic dupliciter potest considerari: vel secundum quod comparatur ad cognoscentem; et sic inest cognoscenti sicut accidens in subiecto, et sic non excedit subiectum, quia nunquam invenitur inesse alicui nisi menti; vel secundum quod comparatur ad cognoscibile; et ex hac parte non habet quod insit, sed quod ad aliud sit....

Quodl. VII a 10: Utrum Deus possit facere quod albedo aut aliqua qualitas corporalis sit sine quantitate.

*c* ... in albedine et qualibet alia qualitate corporali est duo considerare: scilicet ipsam naturam albedinis per quam speciem sortitur; et individuationem eius, secundum quod est haec albedo sensibilis ab alia albedine sensibili distincta. Posset ergo fieri miraculo ut natura albedinis subsisteret absque omni quantitate; tamen illa albedo non esset sicut haec albedo sensibilis, sed esset quaedam forma intelligibilis ad modum formarum separatarum quas Plato posuit. Sed quod haec albedo sensibilis individuata esset sine quantitate fieri non posset, quamvis fieri possit quod quantitas individuata sit sine substantia; quia quantitas non individuatur solum ex subiecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis dimensionis, quae est quantitas positionem habens. Et ideo possibile est imaginari duas lineas separatas eiusdem speciei numero diversas secundum diversum situm; alias linea non esset divisibilis ex ista ratione sui generis; non enim dividitur linea nisi in lineas. Plures autem albedines eiusdem speciei sine subiecto imaginari non est impossibile; et sic patet quod albedo non individuatur nisi ex subiecto; et propter hoc non posset esse individua, nisi esset in aliquo subiecto, ad minus in quantitate: sed quantitas habet unde individuatur etiam absque subiecto; et ideo potest per miraculum esse haec quantitas sensibilis etiam absque subiecto, sicut patet in corpore Xti.

Anas 1271

Quodl. V a 9: Utrum verbum cordis sit species intelligibilis.

Sed contra, Verbum cordis interius est quod exteriori verbo significatur. Sed verbum exterius non significat speciem intelligibilem. Ergo verbum interius non est ipsa species intelligibilis.

Respondeo dicendum, quod secundum Augustinum, 15 de Trin., verbum cordis importat quoddam procedens a mente sive ab intellectu. Procedit autem aliquid ab intellectu, inquantum est constitutum per operationem ipsius. Est autem duplex operatio intellectus, secundum Philosophum in 3 de Anima (text comm 21). Una quidem quae vocatur indivisibilem intelligentia, per quam intellectus format in se ipso definitionem, vel conceptum alicuius incomplexi. Alia autem operatio est intellectus componentis et dividens, secundum quam format enuntiationem. Et utrumque istorum per operationem intellectus constitutorum vocatur verbum: quorum primum significatur per terminum incomplexum, secundum vero significatur per orationem.

Manifestum est autem quod omnis operatio intellectus procedit ab eo secundum quod est factus in actu per speciem intelligibilem; quia nihil operatur nisi secundum quod est actu. Unde necesse est quod species intelligibilis, quae est principium operationis intellectualis, differat a verbo cordis, quod est per operationem intellectus formatum; quamvis ipsum verbum possit dici forma vel species intelligibilis, sicut per intellectum constituta; prout forma artis quam intellectus adinvenit, dicitur quaedam species intelligibilis. (Cf relation of Verbum divinum to creatures: → Met 7 lect 6 ff 1485-10 a specie unitatis in mente ad

De Ver 3a 2

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus intelligit aliquid <sup>in actu</sup> dupliciter: uno modo formaliter, et sic intelligit specie intelligibili qua fit in actu; alio modo sicut instrumento quo utitur ad aliud intelligendum; et hoc modo intellectus verbo intelligit, quia format verbum ad hoc quod intelligat rem. <sup>see Q6c</sup>

Q6:57

(The experience of understanding (formaliter) the objectivating function of judgement (ut intelligat rem).

Ad secundum dicendum quod cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili: unde per formam quae sibi a sensibili imprimitur, sentit: non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem: hoc autem facit vis imaginativa, cuius formae quodammodo simile est verbum intellectus.

See 21 De Ver 3a 2

Answers 1257 Quodl VIII a 3 Utrum anima accipiat species a rebus quae sunt extra eam

a Triplex agens: sufficiens cui patiens non cooperatur (sensus); cui patiens cooperatur (imaginatio); insufficientis (intellectus) quocum aliud magis agit (intellectus).

Answers 1258 Quodl. X a 7: Utrum anima quidquid intelligit, intelligat in prima veritate.

b Corp: ... ab una prima veritate multae veritates in mentibus hominum resultant, sicut ab una facie hominis resultant multae facies in speculo fracto. Haec autem resultatio veritatis est quantum ad duo: scilicet quantum ad lumen intellectuale, de quo in Psal., 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; et quantum ad prima principia naturaliter nota, sive sint complexa sive incompleta. Nihil autem possumus veritatis cognoscere nisi ex primis principiis, et ex lumine intellectuali; quae veritatem manifestare non possunt, nisi secundum quod sunt similitudo illius primae veritatis; quia ex hoc etiam habent quamdam incommutabilitatem et infallibilitatem. Sic ergo in prima veritate secundum suam essentiam non omnia videntur a nobis in statu viae, cum nec ipsa per suam essentiam a viatoribus videatur; sed in ipsa ratione suae imaginis, scilicet veritatis ab ea exemplatae, omnis veritas nobis cognoscitur; et exinde est quod duo idem verum vident, in quantum ab eadem prima veritate resultat exemplata veritas in mente utriusque; et ita intelligendum est dictum Augustini.

c Ad 2m .... Id ergo quo cognoscimus sicut instrumento, oportet esse nobis primo notum; et sic cognoscimus conclusiones per principia naturaliter nota, ad quae comparatur intellectus agens sicut ad instrumenta, ut dicit Commentator in 3 de Anima. Sed id quo cognoscimus sicut forma cognoscentis, non oportet esse notum; quia nec oculus videt lucem, quae est in oculi compositione, neque speciem per quam videt; et ita etiam non est necessarium ut quicumque intelligat aliquid, intelligat intellectum suum quo intelligit vel lumen intellectuale. Sic ergo veritas a prima veritate in mentibus nostris exemplata a nobis partim cognoscitur ut de necessitate, ad hoc quod alia in ea cognoscantur, scilicet quantum ad ipsa principia; et partim non de necessitate cognoscitur, scilicet quantum ad ipsum intellectuale lumen. Ipsa vero existens veritas a nobis per suam essentiam non videtur.

Parallel ibid: non enim ignis calefacit calorem quo calefacit; hence intellectus non de necessitate intelligit lumen quo intelligit. On the other hand, manus movens lapidem per baculum, movet baculum, so that intellectus cognoscens conclusiones per principia cognoscit princ. Does this define sense of formaliter in Quodl V 9.

d 2a objection cites Confessions "Si ambo videmus id verum esse quod dico, ubi quaeso videmus? Non ego in te, nec tu in me; sed ambo in ea quae supra nos est incommutabili veritate.

Sed contra, multi de conclusibus demonstrativis veram cognitionem habent qui de prima veritate nihil considerant. Ergo non omne verum in prima veritate cognoscitur.

f Praeterea, Augustinus dicit in libro de lib. arbitrio quod nullus de prima veritate iudicat, et nullus sine ea recte iudicat; et ita si de ea non iudicatur, non cognoscitur, nec alia in ea.

Imago Dei -- De Potentia q 9 a 5

nDe ratione autem eius quod est intelligere, est quod sit intelligens et intellectum. Id autem quod est per se intellectum non est res illa cuius notitia per intellectum habetur, cum illa quandoque sit intellecta in potentia tantum, et sit extra intelligentem, sicut cum homo intelligit res materialis, ut lapidem vel animal aut aliud huiusmodi; cum tamen oporteat quod intellectum sit in intelligente, etiam unum cum ipso. Neque etiam intellectum per se est similitudo rei intellectae, per quam informatur intellectus ad intelligendum. Intellectus enim non potest intelligere nisi secundum quod fit in actu per hanc similitudinem, sicut nihil aliud potest operari secundum quod est in potentia, sed secundum quod fit actu per aliquam formam. Haec ergo similitudo se habet in intelligendo sicut intelligendi principium, ut calor est principium calefactionis, non sicut intelligendi terminus. Hoc ergo est primo et per se intellectum, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta, sive illud sit definitio, sive aliqua enuntiatio, secundum quod ponuntur duae operationes intellectus, in 3 de Anima (com 12). Hoc ergo autem sic ab intellectu conceptum dicitur verbum interius, hoc enim est quod significatur per vocem; non enim vox exterior significat ipsum intellectum, (faculty), aut formam ipsius intelligibilem, aut ipsum intelligere; sed conceptum intellectus quo mediante significat rem; ut cum dico, homo, vel, homo est animal. Et quantum ad hoc non differt utrum intellectus intelligat se vel intelligat aliud a se.... Cum ergo in Deo sit intelligere, et intelligendo seipsum ~~se~~ intelligit omnia alia, oportet quod ponatur in ipso esse conceptio intellectus, quae est absolute de ratione eius quod est intelligere.

De Potentia q 8 a 1 *4 Cont 4, 11*

Intelligens autem in intelligendo ad quattuor potest habere ordinem: scilicet ad rem quae intelligitur; ad speciem intelligibilem qua fit intellectus in actu; ad suum intelligere; et ad conceptionem intellectus. Quae quidem conceptio a tribus praedictis differt. A re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu; et iterum conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format ut rem intellectam cognoscat. Differt autem a specie intelligibili: nam species intelligibilis, quae fit intellectus in actu, consideratur ut principium actionis intellectus; cum omne agens agat secundum quod est in actu: actu autem fit per aliquam formam, quam oportet esse actionis principium. Differt autem ab actione intellectus: quia praedicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam constitutum per ipsam constitutum. Intellectus enim sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam vel negativam. Haec autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior non significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus; sed intellectus conceptionem qua mediante refertur ad rem. Huiusmodi ergo conceptio, sive verbum, qua intellectus noster intelligat rem aliam a se, ab alio exoritur, et aliud repraesentat. Oritur quidem ab intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intellectae... Huiusmodi autem verbum nostri intellectus, est quidem extrinsecum ab esse ipsius intellectus (non enim est de essentia, sed est quasi passio ipsius) non tamen est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus, sum ipsum intelligere compleri non potest possit sine verbo praedicto.

De Potentia, q 9 a 9

corp. .. scilicet velle intelligere et velle. Secundum autem utramque earum invenitur aliquid procedens cum hae operationes perficiuntur. Ipsum enim intelligere non perficitur nisi aliquid in mente concipiatur, quod dicitur verbum; non enim dicimur intelligere, sed cogitare ad intelligendum, antequam conceptio aliqua in mente nostra stabiliatur. Similiter etiam ipsum velle perficitur amore ab amante per voluntatem procedente, cum amor nihil sit aliud quam stabilimentum voluntatis in bono volito....

in/

ad 1m ... quia cum Filius in divinis procedat ut verbum, si Filius filium generaret, sequeretur quod in Deo verbum ex verbo procederet, quod quidem esse non potest nisi in/tellektu inquisitivo et discursivo, in quo verbum ex verbo prodegit, dum ex consideratione unius veritatis in alterius veritatis considerationem procedit; quod nullo modo convenit perfectioni et simplicitati intellectus divini, qui uno intuitu omnia simul videt...

ad 4m ... In operatione autem quae non transit in rem exteriorem, sed manet in operante, non requiritur nisi unum operationis principium; sicut ad volendum requiritur principium ex parte volentis, per quod possit velle... Unde non oportet quod alia sit potentia activa in Patre, et alia passiva in Filio.  
BL Aq later distinguished pot act et pass within the will.

Ad septimum dicendum quod verbum in divinis non potest dici nisi personaliter, si proprie accipiatur...

Ad octavum dicendum quod "dicere" potest dupliciter sumi. Uno modo proprie secundum quod "dicere" idem est quod verbum concipere; et sic dicit Augustinus (in 7 de Trinit., non remote a principio) quod "non singulus quisque in divinis, sed solus Pater est dicens." Alio modo communiter, proüt "dicere" nihil est aliud quam intelligere; et sic dicit anselmus (in Monologio ) quod non solum Pater est dicens, sed etiam Filius et Spiritus sanctus....

ad 14m ... Primo enim intelligitur aliquid ut verum, et sic deinceps desideratur ut bonum; et ibi sistit et quiescit operatio intranea, sicut in fine....

q 10 a 2 ad 4m ... Deus naturaliter amat suam bonitatem, sicut naturaliter intelligit suam veritatem. Sicut ergo Filius naturaliter procedit a Patre ut verbum, ita Spiritus sanctus naturaliter procedit ab eo ut amor...

q 10 a 2 ad 5m libere procedit SpSs et tamen ex necessitate

q 10 a 2 ad 11m ... processio autem quae est per modum voluntatis, de necessitate praeexigit processionem quae est per modum intellectus .....x..... processio intellectus est ab uno solo; sed amicitia quae est amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem se amantibus.

I q 27 a 1

De Potentia, q 8 a 1 ad 12m cf De Pot q 8 a 1; q 9 a 5; q 9 a 9

... licet ratio naturalis potest possit pervenire ad ostendendum quod Deus sit intellectus, modum tamen intelligendi non potest invenire sufficienter. Sicut enim de Deo scire possumus quod est, sed non quid est; ita de Deo scire possumus quod intelligit, sed non quo modo intelligit. Habere autem conceptionem verbi in intelligendo, pertinet ad modum intelligendi; unde ratio haec sufficienter probare non potest; sed ex eo quod est in nobis aequaliter per simile coniecturare.